

(24. Cruces, quæ fiunt a Sacerdote super oblata, non sunt faciendæ manu transversa, sed manu recta in transversa parte Crucis, et digitis conjunctis; Sac. Rit. Congr. 4. Aug. 1663. Vide d. verb. *Miss.* art. 12, num. 80.

(25. Signum, quod fit cum Patena a fronte ad pectus, fit integre cum signo Crucis; Sac. Rit. Congr. 13 Mart. 1627.

(26. Manus Sacerdotis ad *Hanc igitur Oblationem* debent ita extendi, ut palmæ sint apertæ pollice dextro super sinistrum in modum Crucis supra manus, non vero infra manus; Sac. Rituum Congregatio 4 Aug. 1663. Vide dict. verb. *Miss.* art. 12, num. 70.

(27. Cruces formantur, non signando manu quatuor quasi puncta in aere, nec manu ducta in circulum, sed per duas lineas, alteram rectam versus Sacerdotem, alteram diametraliter transversam. Quæ super Calicem fiunt, non debent excedere Pallæ magnitudinem; quæ autem fiunt super Calicem, et Hostiam, simul incipi debent a labio extremo Calicis, usque ad spatium imminens primæ parti Hostiæ versus Sacerdotem, non debet tamen manus deprimi ad Hostiam, sed recta trahitur hæc Crux æqualiter alta super Calicem, et Hostiam. Sic expresse doctissimus P. La Croix lib. 6, pag. 2, n. 491.

(28. Tolerari non debet, quod in locis publicis, et sordidis stent depictæ diversæ Cruces, ac Sanctorum Imagines in derisum Christianæ Religionis; Sacra Rituum Congregat. 22 Maji 1596. Ursaya Institut. Criminal. lib. 3, tit. 1, num. 10, asserens nimis indecens, indecorum, et omni Jure prohibendum, quod signum Sanctissimæ Crucis pingatur in locis lutuosis, ad hoc ut ipsius Majestas plebem arceat mincturientem; ibique ad id citat plures alios Monacell. tom. 2, tit. 13, formul. 1, num. 10, cum pluribus ibi citatis, et habetur ad rem textus expressus in l. *Cum sit*, unic. Cod. *Nemini licere Signum Salvatoris Christi* etc.

(29. Cruces, vel nova insignia præter solitum in Processionibus deferre non licet; Sac. Rit. Congr. in Carapolitana *Nullius* 4 Martii 1606, apud Barbosa in Summa Apostolicar. Decis. verb. *Crux* num. 6.

(30. Crucem propriam in Processionibus erigere non possunt Presbyteri alicujus Ecclesiæ intra limites propriæ Parochiæ, sed debent incedere sub Cruce Parochiæ; Sac. Rit. Cong. in una Urbis 12 Mart. 1616, apud Barb. l. c. n. 7.

(31. Archiepiscopi possunt ante se deferre Crucem, etiam per loca exempta suarum Diocesium; et idem possunt Episcopi habentes privilegium deferendi ante se Crucem. Sic pluries censuit Sac. Congregatio Episcoporum, et Regularium, et signanter in Vestana 26 Maji 1592, in Sypontina 26 Maji 1592, in Acherontina 20 Decembr. 1616, in Amalphantina 4 Junii 1636, in Papiensi 8 Februarii 1631, ubi sequenti dubio: « An Episcopus Papiensis, qui habet usum Pallii etc. possit tam in dictum Collegium (hoc est Ghislerium, quod est plenissime exceptum)

quam alia quæcumque loca intra suam Civitatem, et Diocesim existentia, intrare cum Cruce, non intendens per hoc præjudicium inferre privilegiis, et exemptionibus prætensis? » Respondit *Affirmative*. Quam resolutionem confirmavit die 14 Januarii 1685 et 1 Martii 1687, non obstante allegata observantia in contrarium.

(32. Item decrevit eadem Sac. Congregat. Episcoporum et Regularium in alia Papiensi Juris deferendi Crucem 17 Septembr. 1707, in qua Dubio: « An Eminentissimo Episcopo Papiensi licuerit in suo accessu ad Carthusiam Papiensem etc. ingredi erecta Cruce Ecclesiam, et Monasterium ejusdem Carthusiæ? » Respondit: « *Affirmative* quoad Ecclesiam; *Negative* quoad Monasterium; » confirmata die 22 Septembris 1708, quoad Ecclesiam, et prævio recessu a decisis, extensa etiam quoad Monasterium, his verbis: « Licere Eminentissimo Episcopo ingredi una cum Cruce in casu de quo agitur, etiam in Monasterium, absque ullo tamen exercitio Jurisdictionis. » Sic referit de Ursaya tom. 2, part. 2, discept. 1, num. 15, 16 et 17.

(33. Qui ibidem num. 52, subjungit, quod similiter statuit eadem Sacra Congregatio Episcop. et Regul. Ponente Eminentiss. Corsino in Ragusina die 26 Maji 1711, in qua partibus acerrime informantibus, censuit, et declaravit « licuisse, et licere Archiepiscopo Ragusino ingredi Conventum prædictorum Patrum Dominicanorum cum Cruce erecta, » non ad explendos actus aliquos necessarios, minusque a Cone. Trid. præscriptos, sed ad merum, et simplicem effectum cæremonialem, hoc est ad invisendum Episcopum Ascrivii, seu Cathari suum Suffraganeum, moram facientem in Conventu dict. Patrum Dominicanorum.

(34. Et ita etiam resolvit Sacra Congregat. Conc. in Lucana Juris deferendi Crucem die 8 Augusti 1716, in qua, proposito dubio: « An liceat Episcopo Lucano ingredi, erecta Cruce, Ecclesiam Sancti Frigidiani Canonico Lateranensis in casu etc. » Respondit: *Affirmative*. Cui responsioni dd. Canonici Lateranenses acquieverunt. Sic apud eundem Ursayam l. c., num. 136.

(35. Alia ad rem; vide verb. *Indulgentia*, art. 5, n. 63 et 64, verb. *Processiones*, n. 21 et 22, et Decreta S. R. C. in nostro tomo 9.

(36. Crucis Caravacensis origo: Kazizius Agarenor. Rex, Christianos quos in sua arce Caravacensi captivos habebat, e carcere accitos ad se humaniter interrogavit, quamnam singuli artem scirent, et inter hos unum, qui respondit se esse Sacerdotem, et omnes artes Regumque omnium potentiam quamcumque superari suo ministerio. Rex se intueri velle hujusmodi ministerium, et ut illud in suo conspectu celebraret, mandavit; Sacerdos contra respondit destitui se rebus necessariis ad sacram rem peragendam. Quare Rex continuo jubet, ut e proximo Christianorum oppido peterentur, quæ ad hoc Mysterium celebrandum opportuna esse videbantur. Adferuntur ea; orsurus tamen Missam Sa-

cerdos constitit. Causam cunctationis Regi seiscitanti Crucem esse dixit, quæ consuevit his ritibus, et præsertim illo die (erat Festum Inventionis S. Crucis) adhiberi. Vix hæc erat effatus, cum fornice, qui Altari imminerebat, desciscente magnus splendor effulsit, et per illum tum duo Angeli de Cælo illapsi Crucem ligneam bipalmarem deferentes super Altare paratum deposuerunt. Stupet Rex Agarenus cum suis aulicis tanto Miraculo conspecto. Fidem cum iisdem amplectitur, et Sacello intra arcem constructo, Angelicam illam Crucem intra arcem præciosam reponit. Miraculum plane est, quadringentis et amplius annis viguisse illud lignum citra cariem, et teredinem, aut ullum vitium, illæsum perdurasse. Sic expresse Gobat. t. 1, tr. 3, n. 286 (1).

ADDITIONES AUCTORIS.

(37. Addendum est, quod ex Decreto Sac. C. R. sub die 10 Decembr. 1708, ut ex Pitto-ro refert P. Cavalieri in agenda Defunctorum cap. 15. Decret. 41, n. 2, ubi viget consuetudo, in funeralibus tot Cruces elevari poterunt, quot sunt Capitula, seu Communitates, licet Capitulum Cathedralis intersit funeri. Tunc enim juxta pluralitatem diversi Cleri, etiam plures cruces deferri possunt, ut etiam ex actis Eccles. Mediolanens. part. 1, tit. de funeribus, et exequiis, et ex Notificat. Benedict. XIV, probat. d. Eruditissimus Cavalieri. Vide supra n. 17, et Decret. Sac. Cong. Conc. ann. 1726 et 1735, allat. verb. Cadaver.

(38. Sacerdos, dum se induit vestibus sacris pro Missa de requiem, non debet omittere osculum Crucium in Amictu, Manipulo, et Stola, nec *Gloria Patri* in fine Psalmorum præparationis ejusdem Missæ; Cæremonial. Seraphic. impress. Mediolani 1744, cap. 15, n. 324. Cavalieri l. cit. cap. 12, n. 1 et 2, testans de communi, et praxi contra paucos, et ratio est, quia talia oscula non sunt a Rubrica enumerata inter omittenda in Missis Defunctorum, et nec *Gloria Patri* in præparatione ad ipsas, si enim voluisset, et ista esse omittenda expressisset, ut expressit alia; quod enim voluit, expressit. Unde cum ista non expresserit, non sunt omittenda; arg. cap. *Inter corporalia* 2. § *Sed neque istud*; de translation. Episcop. c. *Ad audientiam* 12, de Decimis, cap. *Quia circa* 22, de privileg.

(39. Subdiaconum cum Cruce in absolute ad tumulum absente cadavere, debere semper sistere contra Altare ad pedes tumuli, seu lecticæ, inter januam Ecclesiæ, et lecticam versa facie ad Altare, tenent communiter Doctores per textum Rubricæ XIII. Missalis sic expresse dicentis: « Subdiaconus cum Cruce sistit se ad pedes tumuli, seu lecticæ mortuorum contra Altare. » (40. Discrepant autem in assignando locum, ubi

(1) Nihil verius Caravacæ Crucis historia, modo ab iis quæ Higuera vel confixit ipse, vel ab aliis conficta Roblesio commodavit, repurgetur. Repurgavit enim vero Papebrochius in appendice ad Acta S. Ferdinandi Regis, ubi et apparitionem illam sub annum 1272 accidisse ostendit. Confer ejusdem Pa-

præsentem cadavere sistere se debeat Subdiaconus cum Cruce. Cum enim Rituale Roman. in titulo de exequiis, præscribat, quod si cadaver sit laici, caput habeat versus januam Ecclesiæ, et si cadaver sit Sacerdotis, (non Diaconi, aut alterius inferioris) caput teneat versus Altare; et aliunde idem Rituale Subdiaconum cum Cruce expresse collocet ad caput Defuncti; « Accedit ad feretrum, et se sistit ad caput Defuncti cum Cruce: » et Bauldry in Manuali part. 3, cap. 14, et cap. 15, n. 8, vult quod juxta dispositionem Ritualis Romani, Subdiaconus cum Cruce semper stet ad caput Defuncti, sive sit Laici, sive Sacerdotis, et celebrans, ad pedes ejusdem. Sic etiam Gavant. part. 2, tit. 13, lit. m. Simon Bungiovanni in Silva Sacrarum Cæremoniarum lib. 8, cap. 3, in fin. Cæremonial. novissime impressum pro Franciscanis Reformatis Mediolani 1744, in cap. 27, n. 608, et alii inherentes dictæ dispositioni Ritualis Romani jussu Pauli V editi, et Cæremonial. Episcop. lib. 2, c. 11, § 15 et 24. Quod Cæremonial. cap. 38, circa finem, circa exequias Cadaveris Defuncti Episcopi sic expresse insuper habet: « In Ecclesia collocatur feretrum in medio Ecclesiæ, et ibidem Prior, seu Dignior Canonicorum, vel prima Dignitas, si adsit, indutus pluviali, faciat officium, hoc est dicet ad pedes feretri » etc. ubi dum collocat Sacerdotem ad pedes cadaveris in feretro, videtur aperte collocare Subdiaconum cum Cruce ad caput ipsius.

(41. E contra Castaldus Cæremon. lib. 2, cap. 38. Baruffaldus tit. 26, num. 249. Merati part. 2, tit. 13, num. 24. Cavalieri in *Agenda Defunct.* cap. 15, Decret. 42, numer. 6, 7 et 8, et alii semper collocant Subdiaconum cum Cruce inter januam Ecclesiæ, et feretrum, et celebrantem inter feretrum et Altare, sive præsentem cadavere Laici sive Sacerdotis. Et eorum non spernenda ratio est, quia verba Ritualis Romani non ita rigorose interpretanda sunt, ut accipienda sint pro hoc, vel illo casu particulari qui raro eveniant, ut de exequiis Sacerdotis, sed de solis exequiis Laicorum, quæ quotidie occurrunt. Leges enim adaptantur ad ea quæ ut plurimum contingunt, non autem ad illa quæ raro accidunt, ad text. in Authent. *Ut sine prohibitione matres in l. Ex his 4 et l. Nam ad ea* 5, ff. de Legibus, se fundantes insuper in praxi etiam omnium fere Ecclesiarum, ut testantur Baruffaldus, et ex ipso Merati locis citatis. Et in citata Rubrica XIII. Missalis, quæ collocat Celebrantem « inter Altare et tumulum aliquantulum versus cornu Epistolæ, » ne, ut seite Cavalieri loc. cit., terga vertat Cruci Altaris, quod eveniret, si in exequiis Cadaveris defuncti Sacerdotis collocati cum capite versus Altare, Subdiaconus cum Cruce sistere se deberet ad

pebrochii responsionem ad exhibitionem errorum sibi, sociisque a P. Sebastiano a S. Paulo objectorum, art. 15, § 50, n. 564, seqq. et Bartholomæum Aleazar in vita S. Juliani Conchensis Episcopi Matritensibus typis a. 1692, excusam lib. 5, c. 15, ubi eandem historiam pertractat. (*Edi. Barbiel.*)

caput ipsius. Quæ consuetudo, si legitima vere reperitur maxime ob rationes allatas, esset observanda, cum ipsa sit optima Legum interpretis, textu expresso in l. *Si de interpretatione* 37, ff. de Legibus cap. *Cum dilectus* 8, de consuetudine. Alias non esse recedendum a dispositione Ritualis Romani sine distinctione inter Cadaver laici et Sacerdotis, absolute semper collocantis Subdiaconum cum Cruce ad Caput Defuncti. Ubi enim Lex non distinguit, neque nos distinguere debemus; L. *Non distinguemus* 32, ff. de recept. Arbitr. L. *Præses* 3, ff. de Officio Præsidis. L. *De pretio* 8, ff. de publiciana in rem action. cap. *Quia circa* 22, de privileg. Maxime quia si Rituale id voluisset, expressisset, quod enim voluit, expressit, arg. cap. *Inter corporalia* 2, § *Sed neque istud*, de translation. Episcoporum. cap. *Ad audientiam* 12, de decimis, cum similibus; præsertim cum occurri possit indecentiæ et deformitati vertendi terga Crucis Altaris, si Subdiaconus se sistat non humeris, sed solo tergo versus Altare, ut tradit cit. Cæremonial. Mediolani impressum 1744, in cap. 17, num. 608, ad instar dispositionis dictæ Rubricæ 13. Missalis ob id statuentis celebrantem aliquantum ex parte Epistolæ; et concurrente ad id dispositione Cæremonialis Episcop. loco cit. et auctoritate allegatorum Auctorum pro prima opinione.

(42. Crucem ante se deferendi mos a Summo Pontifice ad ejus Legatos primum, inde ad Patriarchas, Primates, et paulatim ad omnes Archiepiscopos dimanavit, etiam per loca suæ Provinciæ exempta; et ad aliquos privilegiatos Episcopos; Benedict. XIV, de Synodo Diocesis. lib. 2, cap. 6, num. 2 et 3, ex pluribus ibi erudite adductis; Vide supra a num. 13 ad 34, ubi afferuntur varia Decreta ad rem.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(43. Crux adhiberi in Ecclesia solet veluti insigne quoddam, per quod unum ab altero corpore distinguitur, ita ut ex unicitate Crucis unicitas corporis, et versa vice ex multiplicitate Crucium multiplicitas corporum inferatur, ut post alios affirmant Pignatell. cons. Canon, t. 4, cons. 30, num. 7, optime Ursaja discept. Eccl., t. 1, part. 1, discept. 26, n. 39, et seq. et rursus, tom. 5, part. 2, discept. 26, n. 11, et sequent. Rot. in Mantiss. ad Card. de Luca, lib. 3, decis. 23, n. 32, et decis. 28, n. 14.

(44. At id non est perpetuum: in una enim eademque Ecclesia quum repugnet existentia plurium distinctorum corporum, uti post celebre consil. 5. Calderin. de his, quæ fiunt a Prælati firmavit Rot. cor. Molin. dec. 1220, num. 49. (45. Delatio plurium Crucium in Ecclesiasticis functionibus ad denotandum non plura corpora ipsius, sed plures ejus prærogativas adhibita dici debet, Confer Vivizan. de Rit. Santiss. Cruc. Roman. Pontific. Præferend. libr. 2, cap. 12.

(46. De hisce vero Ecclesiis, quæ Ecclesiasticis functionibus plures Cruces deferre solent, consule Claud. Joli in tract. gallico

edito de Schol. Episcop. cap. 8, tum Edmund. Marten. in tractat. de Ecclesiast. discipl. in divin. recit. offic. cap. 20, § 9, tum alios.

(47. At prætereunda haud est Neapolitana Ecclesia. Hæc ab antiquo in nonnullis Ecclesiasticis functionibus duas Cruces deferre solita est, alteram Canonicorum dictam, alteram nuncupatam Hebdomadariorum. (48. Excitata vero ab Hebdomadariis præsidio hujus Crucis, quæ ab ipsis denominationem accepit, prætentione, quod Corpus ii efformarent a Canonicis distinctum, Sacra Congregatio Particularis destinata a sanct. memor. Benedicto XIV, causa mature discussa, die 15 Novembris anni 1752, sententia definivit, ambas Cruces Capituli esse, adeoque non efformare Hebdomadarii Corpus a Canonicis distinctum. Et sequuta sententiam hanc Sacra Congregatio Rituum postea die 2 Decembris anni 1753, rescripsit, teneri Hebdomadarii in Ecclesia Neapolitana servare omnia illa quæ Mansionariis aliarum Ecclesiarum præscribuntur a Cæremonialibus Episcoporum, tum ab Apostolicis Constitutionibus.

ADDITIONES CASINENSES.

(49. A saluberrimo signo Crucis omnes horas Canonicas auspicare solemus. Nam dum Sacerdos sacrarum precum initio divinum postulat adiutorium, eo nos contra diabolicas fraudes armamus, orantes fieri nobiscum signum in bonum, ut videant, qui oderunt nos, et confundantur, quoniam Deus psallentes adjuvat et consolatur. Bona de div. Psalm. c. 16, § 5.

(50. Quanta sit virtus, quanta antiquitas hujus sacratissimi Signi colligi potest ex innumeris locis SS. Patrum aliisque Scripturibus Ecclesiasticis. S. Clemens Romanus 1, const. Ap. c. 16, signum Crucis appellat infractum signum, quia sicut signum rem custodit, cui appositum et impressum est, ita Crux munitissima rerum omnium custodia est. Dionysius Areopagita docet signum crucis ad omnia Sacramenta adhiberi. Justinus Martyr qu. 118 sive auctor *quæstionum* apud ipsum a diebus Apostolorum usum ostendit emanasse, quo Christiani dextera manu seipsos et alia signo Crucis obsignant. Et Tertullianus de cor. milit. c. 3, scripsit: « Ad omnem progressum, atque promotum, ad omnem aditum atque exitum, ad vestitum, ad calceatum, ad mensas, ad lavacra, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia quæcumque nos conversatio exercet, frontem Crucis signaculo terimus. »

(51. Crux pectoralis variis appellatur nominibus; et quidem Phylacterium (sive Phylacterium) ut scribit Gregorius M. ad Theodolindam Longobardorum Reginam: « Excellentissimo autem filio nostro Adulwaldi regi transmittere curavimus Phylacteria, id est, Crucem cum ligno S. Crucis Domini, » etc., Epist. lib. 12, 7. *Φυλακτήριον* vero, i. e. Conservatorium, erat quædam chartula quæ divinas ordinationes continebat, et in frontibus Hebræorum ac in eorum sinistro brachio

habebatur, sic adimplere credentes eas; Macri *Hierolca.* Dicebatur etiam *Excolpium*, uti Baronius, ann. 811, refert eam appellasse Nicephorum, Episcopum Constantinopolitanum. Crux pectoralis vocatur ab Innocentio III, ex eo quod ornet pectus. Ritum gestandi Crucem Pectoralem non admodum antiquum esse existimandum tenemus cum Saussay *Panopl. Episcop.*, l. 4, et Cardinali Bona *Rec. Liturgic.*, l. 1, c. 24, 10, cum si leant de eo omnes veteres scriptores rituum Ecclesiasticorum. Cui sententiæ Catalanus Proleg. in Pontific. Rom. c. 13, n. 1, adhærere nequit, dicens: « Cum enim Christiani fere omnes seu Orientis seu Occidentis Crucem, vel ipso Crucis ligno vel Sacris Reliquiis munitam collo appensam gestarent, haud dubium, quin et illam non modo Episcopi sed et Clerici etiam deferrent. » Referunt quidem nonnulli verba Gregorii Nanzianzeni Carmin. l. 2, Carm. 21. *Namque Crucem in membris, medioque in corpore gesto...* sed ex his verbis non patet, eum loqui de Cruce Pectorali ornamento Episcopi celebrantis; nam Crucem secum ferre commune erat omnibus Christianis etiam laicis et mulieribus. Bona l. c. Quod ex Orientalis historiæ monumentis colligi potest; nam Gregorius Nyssenus in vita sororis suæ S. Macrinæ testis est, eam consuevisse Crucem vitali instructam ligno gerere collo appensam. Saussay. Morem eundem apud Latinos etiam propagatum fuisse nulli dubium esse potest. Legimus enim in lib. 7, Epist. 127. Gregorium M. Crucem misisse Recharedo Wisigothorum regi in qua lignum Dominicæ Crucis inerat. Hæc aliaque similia exempla neutiquam obstant, quominus Pectoralis Crux proprium Episcoporum insigne sit; nec enim sequitur ex eo, quod alii Crucem a sinu pendulam gestarent, hanc ex numero Episcoporum ornatuam submovendam, non enim gestant eam eodem ritu ac forma, neque pari jure aut honore. Saussay *Panopl.* Crux Pectoralis revera successit Rationali summi Sacerdotis in veteri Lege. In hac siquidem figura salutari includuntur omnium beneficiorum insignia atque monumenta, quæ Christus in ipsa Cruce pro nobis cum sanguinis sui profluvio misericorditer effudit.

(52. Quod autem Episcopus spectat, egregium est, quod refert S. Gregorius Turo-nensis Episc., lib. 1, de gloria Martyr. c. 11. Ait enim, se Crucem auream ad collum gestasse, in qua erant Reliquiæ Beatæ Virginis, Sanctorum Apostolorum, et B. Martini, cujus ope incendium extinxit, quod aqua tolli non poterat.

SUMMARIUM.

1. Culpa alia est Theologica, et alia est Juridica, et quæ sit utraque. — 2. Culpa Juridica potest esse homini omnino involuntaria, et omni peccato vacans coram Deo. — 3. Culpa Juridica est triplex, scilicet, lata, levis, et levissima. Quæ sit Culpa lata. — 4. Quæ sit Culpa levis. — 5. Quæ sit Culpa levissima. — 6. Culpa Juridica valde differt a casu, et dolo.

(53. Cum nec prisca Sacramentorum libri, nec antiqui præsertim Scriptores Liturgici, qui ornatus Sacros Pontificum aliorumque Ministrorum pertractarunt ad eorum significationes mysticas enucleandas, cum ipsi inquam numquam Pectoralem Crucem attigerint, clarissime patet, nulla tum eam lege, vel consuetudine generali usurpatam fuisse, adeo ut labente sæc. XIII. in potestate Episcopi esset Crucem pectoralem deferre vel non. Sane, recte docet Domin. Georgius l. 1, de Liturg. Rom. Pontificis c. 19, a Romanis quidem Pontificibus, qui pectorali Cruce jam pridem uti sunt, inter Episcoporum peculiariora ornamenta fuisse adscriptam. Ibidem.

(54. Pectoralem Crucem specialem fuisse Romani Episcopi ornatum, docet Innocentius III. P. M. l. 1, Mysteriorum Missæ c. 53, singulas enim Papæ vestes ad Altare explanans, pro Lamina illa aurea, quam solus Pontifex Summus gestabat in fronte, subjicit Crucem a Collo catenulis suspensam, ut et ipsa laminæ loco esset summi Pontificis propria. Tradit deinde Durandus l. 3, *Rationalis* cap. 9. Pontificem imponendo sibi et deponendo Crucem ipsam exosculari, ad denotandum, quod Christi passionem, quæ per illam significatur, credit et confitetur, quodque ad eandem repræsentandam in officio Missæ se parat. Ibid.

(55. Crucem Pectoralem inter solemniora Pontificum ornamenta adnumeratam, non legimus ante Rupertum et Papam Innocentium III. Fuisse tamen in potestate Episcopis, eam Crucem pectoralem adhibere vel non, testatur Durandus in suo Pontificali, ubi narrans indumenta Episcopo solemniter celebranti per ordinem necessaria, inter eadem ita memoratur: « Crux pectoralis, si quis ea uti velit. »

(56. Crux in die Purificationis, Dominica Palmarum, Feria V in Cæna Domini, Feria VI in Parasæve præfertur a Subdiacono diverso a ministrante, amictio Tunicella, aut Planeta plicata, prout exigit sacræ actionis qualitas: die vero Commemorationis omnium Fidelium defunctorum a Subdiacono Missæ S. R. C. in Alexandrina 6. Maji 1826.

(57. S. R. C. decrevit tolerari et permitti posse, quod lignum Sanctissimæ Crucis, aliaque instrumenta Dominicæ passionis, peculiari horum attenta veneratione, habitaque ratione fere universalis consuetudinis, deferantur sub Baldachino, dummodo tamen id fiat seorsim et disjunctim a Sanctorum Reliquiis, quibus distinctivum hoc honoris omnino non convenit. 27 Maji 1826.

CULPA.

— 7. Casus quid sit. — 8. Dolus quid sit. — 9. De Jure naturæ non est obligatio restituendi pro danno sine Culpa Theologica illato. — 10. Neque etiam de Jure positivo (præscindendo a contractu) est in Conscientia obligatio reparandi damnum sine Culpa Theologica illatum, nisi accedat sententia Judicis. — 11. Sic etiam si nulla intervenit Culpa Theologica, ordinariæ non est in Conscientia obligatio ante sen-